



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae  
a Villanova, Cognomento Eleemosynarij**

**Romae, 1658**

Laurentius Gauottus Episcopus olim Vintimilien[sis] Assistens.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9857**

**Laurentius Gauottus Episcopus olim Vintimilien  
Assistens .**

**T**Homæ de Villanova singularem vitæ sanctitatem , probata virtutum omnium resonante fama , Terra vniuersa testatur , Beatissime Pater, testantur & Cœli . Seruo Dei , vel in hoc mortali corpore , Ciui suo concinunt plaudentes Angeli , & ipse descendantium choris admissus , alternatim Dei laudes annuntiat , perenniter celebraturus ; accepto testimonio quod maius est , die scilicet ore diuino indicta , se perpetuo regnatum . Terra igitur , & Cœlo simul acclamantibus , dignè Viro Dei decernentur in terris honores debiti regnantibus in Cœlis .

**Fr. Ambrosius Landuccius Episcopus Porfirien.  
Assistens , Sacrarij Apostolici Præfектus .**

**S**anctissime Pater . Fr. Thomas de Villanova Archiepiscopus Valentinus , cognomento Eleemosynarius , Sacri Ord. Eremitici Diui Parentis Augustini illustris , & gloria soboles , verè inuentus est sine macula : minimè post aurum abiit , nec sperauit in pecunia , & thesauris : vnde inuocens , & faciens mirabilia . Assidue manus suas , incomparabili animi munificentia , aperuit inopi , & palmas suas extendit ad pauperes . Ideo non timuit à frigoribus niuis , nec à caloribus nimijs gehennæ , & inferni . Semper super egenum , & pauperem intellexit : & ita Beatus . Tandem omnino , funditusquè dispersit , & dedit pauperibus : quare exaltatus in gloria . Quæ omnia , cum apud hanc Sanctam Sedē in ordine ad solemnem eius Canonizationem fuerint iuridicè comprobata , ideo quòd modò cœlestibus fruatur thesauris , quos , eo largiente , manus pauperum in Cœlum deportauerunt , & quòd sit publicè colendus , & adorandus , affirmarem per Sanctitatem Vestram posse pronunciari .

Persius